

mutatum fuisse, quorsum enim oleum abiisset? non abiisse verò, sed in phlegmate solummodò resolutum fuisse, ex eo patet, quod aëris diuturniori actione accedente olea phlegmati superstiti denuò innatent. Manifestissimum tandem dictorum testimonium est sequens, quod olea rebus in fermentatione existentibus, modica quantitate affusa simul in spiritum abeant. Et quibus meridiano Sole clariùs elucet; spiritus illos vegetabilium ardentes, non in spirituum forma, sed olei potius in misto latuisse.

Neq; huic obstat, quod ope Spiritus Vini citra fermentationem, vegetabilium v. g. Absynthii, Anisi Spiritus, confici queant, hoc enim priorem sententiam adeò non destruit, ut etiam egregiè confirmet. Spiritus vini enim quando ab aromaticis ejusmodi ac oleosis abstrauntur, conjungunt sibi olea ista aromatica, atq; secum per alembicum rapiunt. Cum enim Spiritus Vini ipse sit oleum vini (quod ex vino Rhenano Bacharacensi, utpotè generoso manifestè separari potest) in phlegmate resolutum, facile hic alia vegetabilium olea absorbet, cujus

A 4

quoq;